

M-s. 207
2

294.

3

ANGELORVM HVMANITAS

A D

DIEM FESTVM MICHAELIS

PIE CELEBRANDVM

I N

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

A· I· S· MDCCCLXVI

P· P

HELMSTADI

EXIT DE OFFICINA SCHNORRIAE
ACAD· A TYPIS

SATURNIUS HUMANIORVM

SA

DIEM FESTVM MICHAELIS

PIE, OBLIVIA, MADM

IN

ACADEMIA RAVENNAE CALOLINI

A. I. S. MDCCXCI

B. P.

I. SATURNIUS

RAVENNAE ACAD. RAVENNAE S. MICHAELIS

ACADEMIA RAVENNAE

PRORECTOR ET SENATVS
ACADEMIAE
IVLIAE CAROLINAE
CIVIBVS SVIS HUMANISSIMIS

In doctrinae sanctioris isto loco, qui de angelis tractat, in utramque partem, quae mentis humanae peruersa est indoles, aberrari, Ciues veritatis amantissimi, videmus. Fuere iam olim, atque etiam nunc sunt, qui ultra scripturam sacram, quam solam super hoc argumento ducem sequi debebant, sapiunt, atque ex ingenio suo de diuinis his legatis, quasi ab illorum secretis fuissent consiliis, commentarios scribunt. Fingunt, nescio quae, illorum nomina, virtutes, gradus, hierarchias, ordines, munera, formas, figuræ, corpora, linguas, emanationes, propagationes, visiones, multitudines, transmutationes, cultum, et sexcenta alia, quae omnia purior et diuinior fides vel omnino, vel tutius saltim ignorat. Reuocemus nobis tantum in memoriam, quae Iudei, interque hos Esseni potissimum, Gnostici, Patrum quidam, Muhamedani, Scholastici, atque Romana ecclesia de angelis praecipiunt, vt, quam vere haec a nobis dicantur, sentiantur. Sed cogiter for-

IV
PROLOGUS ET SINTAXIS

san aliquis, leuioris momenti hanc esse ingenii humani aberrationem, neque magna inde doctrinae sanctiori metuenda esse damna, aut pericula: cum quae in sacris litteris de angelis praecipiuntur, his additamentis non negentur, sed illustrerentur potius. At longe aliter sentier, cum d. PAULVM eiusmodi ingenii male feriati lusus et nugas angelorum cultum dicere, meminerit, a quo sedulo sibi cauet, qui pleno dei timore et cultu incedit. Ita vero hortatur: μηδεὶς ὑπὸ πατριβεβαιέσθω, Θελω ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ ΘΡΗΣΚΕΙΑ: ΤΩΝ ΑΓΓΕΛΩΝ, ἀ μὴ ἔργανεν ἐμβατεῖν, εἰνὶ Φυσίμενος ὑπὸ τῇ νοῦ τῆς σωμάτου, nemo vobis praemium intercipiat, in modestia ANGELORVMQVE CVLTV sibi placens, IN IIS, QVAE NON DIDICIT, SESE IACTANS, sua humana mente temere tumens. Brabeum, cuius interceptionem praecononet apostolus, ista christianorum erat libertas, quam cultus Leuitici iugo, tum humanarum caerimoniarum et superstitionis vinculis prorsus sunt liberati. His denuo subiungabantur ab iis, qui tunc temporis simulata modestia, qua non audere, deum statim accedere, sed ad angelos preces deferre, ad deum deferendas, videri volebant, θερπεάν τῶν αγγέλων, tamquam ἐθελοθερπεάν vers. 23, angelorum cultum arbitriarum sponte praetexebant. Hanc angelos colendi rationem ita describit, εἰ μὴ ἔργανεν ἐμβατεῖν, quaε non didicit, iactat: ἔργανε pro μερόθην etiam Ioan. VIII, 38. legitur, et εμβατεῖνον a tragicis cothurnis, in quibus sublimes incedunt, iactare, ostentare significat. Notantur igitur ab apostolo isti circulatores, qui ius sibi faciunt, de incognitis loquendi, et quae omnino nesciunt, illorum scientiam iactandi. Eiusmodi sane sunt, quae de angelis docent, quos supra nominauimus. Cum enim facer codex haec omnia taceat, vnde tamen omnis angelorum cognitione haurienda

Coloss. II, 18.

da est, neque experientia magistra illa addisci possint, quam abscondita, immo proorsus incognita ostentent, facile intelligitur. Volunt scilicet eiusmodi doctores ultra alios sapere, εἰνὶ Φωτιέπεοι ὅπό τὰ νοστῆ τῆς σαρκὸς αὐτῶν, temere sua humana mente tumentes. Νῦν τῆς σαρκὸς cognitionem humanam indicat, non diuinitus revelatam, ita ut σάρξ hoc loco, vt alibi, non sensus solum et affectus humanos s. brutum appetitum, quod Sociniani volunt,² sed omnem hominis depravatam naturam, atque adeo intelligentiam quoque, s. vt cum philosophis loquamur, superiores et inferiores animi facultates depravatas significet. Quomodo enim τὴν σάρκην seu solis sensibus νόσον, superiorem intelligendi virtutem attribuere potuisset? Praeterea cum legimus, huic carnī opponi spiritum, seu istas in homine agendi facilitates et propensiones, quae ex fide in I·C· oriuntur, et Spiritu dei, fideles inhabitanti, qui tamquam a spiritu hominis s. ratione distinctus Rom. VIII, 16. representatur, efficiuntur: magis adhuc, quid νόσος significet, intelligitur. Sic qui christianorum fidem commentis carnis suae inquinant, ultra humanitatem sapere sibi videntur, aliosque prae se spernunt. Tument, vento suo inflati scilicet. Nolumus altius inquirere, quos haereticos, Effenosne an Gnosticos, PAVLVS fugiendo significauerit, quod ab hoc loco nimis videtur remotum, sed id saltim obseruabimus, qui de angelis plura, quam quae S·S· docet, aliis tradunt, illos τῆς θεοποίειας τῷ αγγέλῳ culpam sibi

A 3

con-

² Vid. IOAN' CRELLII Comm. in 1 Cor. II, 14. et IO. LVD. VVOLZOGENT in epist. Iudae. v. 19. in Biblioth. Fratr. Polonorum Tom. III et V. Non vt in philosophia, sic quoque in sacris litteris, caro et spiritus

inferiores et superiores animi facultates significant. Qui verba scripture ita tortuose explicant, ii demum philosophia abutuntur, non qui ad errores depellendos illam in subsidium vocant.

contrahere. Haec vero maior est, quam forsitan videri posset. Cogitemus saltim, religionis hostibus et cauillatoribus his visis et nugis, quae tamen religionis capita iactantur, arma subministrari, quibus diuiniorem disciplinam impugnant. Qui cum, pro ea, qua sunt sagacitate, nugas pro decretis diuinis pronuntiari, haberique subodorantur, facile in eam ingrediuntur sententiam, quam et alius persuadent, vniuerlam religionem humani esse ingenii, opusque crassis et abiectis animis, quibus facile imponatur, accommodatum.

Enascitur hinc altera in loco hoc aberratio, quae nostram illius scientiam nimis angustis definit limitibus. Tacebo ἀγγελομάχοις veteres, Sadducaeos, qui illos prorsus negabant, atque adeo, nullam eorum esse scientiam, aiebant, cum ad hanc aberrantium classem minus bene referri possint; neque naturalitas commemorabo, qui, negata omni reuelatione diuina miraculosa, non possunt angelorum scientiam non negare: sed quosdam tantum in medium proferam, qui aliis de cauiss loco huic satis plano et aperto suas tenebras obducere student. Sistunt se nobis primi, qui, ut, quantum possunt, huic doctrinæ detrahant, omnes vel plurimos saltim S. S. locos, vnde angelorum natura cognosci potest, sua interpretatione in alienum prorsus sensum detorquent, inde ut omnis angelorum mentio euaneat. Mentem nostram vberius ut explicemus, rem exemplo clariorem reddere iuuabit. Angelos a munere suo **לְנָגִילָה** legatos, nuntios appellari, in vulgus notum est. Cum vero omnes res creatae a deo, tamquam legati, certis usibus et munieribus adhibeantur, sit inde ut praeter angelos aliis quoque rebus creatis nomen **לְנָגִילָה** attribuatur. Qui igitur prodigiorum, in mundo factorum

¶ Act. XXIII, 8.

rum, numerum pro systemate suo minuere operam
dant, hi impropria nominis ְַנְּבָאִים significatione, quae
angelis subtrahunt, in alias res creatas transferunt, cum
tamen angeli naturae cursus partem non minus atque aliæ
res constituent: quo sit, ut huic doctrinae lucem
suam subducant. Hac ratione clades Assyriorum prodi-
giosa, quae angelo Iehouae attribuitur⁴, vehementissima
tempestate accidisse, dicitur⁵: quasi tempestas, quae v-
na nocte centum octoginta quinque hominum millia occi-
dit, maius miraculum non foret, quam angeli, qui il-
los interficit, prodigium; atque in tanta strage ac tem-
pestate mane tamdem surgi potuisset, ut ad hos refutan-
dos definite narratur. Neque obstat, vatem in descri-
benda hac Assyriorum strage ignis et sulphurei torrentis
imaginem repraesentare⁶. Quis enim nescit, stilum pro-
pheticum et poeticum figuris et translationibus distingui?
Et, quaeſo, quenaam ifta foret hermeneutica sacra, quae
vatum verba proprie, historicorum vero improprie acci-
pienda esse, praecciperet, quod tamen fit, si, quae apud
historicum angelo dei, igni apud vatem, attribuuntur,
non de angelo, sed de tempestate dici, nobis persuadere
voluerint. Haec si interpretandi ratio, quae certe non
cum ratione fit, inualeſceret, non omnis solum angelorū
doctrina periret, sed de pluribus fidei christiane locis
et quaestionibus actum omnino foret. Apertius alii,
de angelis parum nobis constare, eaque minoris esse eu-
identiae, profecti sunt. Auctor cogitationum nouarum de
primo et secundo Adamo, angelorum, inquit, conditio,
functiones et leges ipsis a deo latae nobis tam clare non sunt
reuelatae, ac quidem ea, quae genus humanaum concernunt.
At vero sint illae minoris omnino euidentiae, de rebus ta-

mer

⁴ 2 Reg. XVIII, 35.⁵ Vid. IAC. SAVRIN Betrach-
tungen über die Begebenheiten

des alten und neuen Testaments,

die 13. Betr. des 2 Th. §. 55.

⁶ Ief. XXX, 30. 31. 33.

*men nostris — certius nobis datum est iudicare.*⁷ Magnis scilicet, quas ipse non diffitetur, difficultibus premebat, locum de angelis textili suo intexendi, cum in ista palaestra versaretur, ut vniuersam theologiam dogmaticam sub allegoria primi et secundi Adami traderet, quam decretis suis erroneis apprime accommodauerat. Mirum hominis consilium, qui dogmaticum non *αληγοεῖν* cogitare debuisse, allegoriamque, qua S·S· ad illustrationem sapientissime vtitur⁸, totius theologiae systemati condendo ineptam esse. Quot, sodes, systemata effungi possent, si ex singulis S·S· allegoriis illa quis exstrueret! Angelis vero cum in hac allegoria plane nullus relinquebatur locus, minorem huic doctrinae evidentiam, minorem ambitum pro arbitrio dabat: quo vero id iure factum sit, dogmaticorum nostrorum scripta declarant, in quibus huius quaestione vberatem atque evidentiam non desiderabis. Eadem via incedebat BALTHAS· BEKKER, qui cum Iudeos quosuis aegrotos *δαιμονιζόμενους* appellasse diceret, omnem corporis obsessionem a diabolo factam, negabat, ipsumque Christum hac quoque loquendi formula usum putabat.⁹ Qui cum satis a nostris refutatus sit, obsessione corporali argumentis firmissimis comprobata¹⁰, quaero saltim ex eiusmodi interpretibus: cur Iudei aegrotos *δαιμονιζόμενους* dixerint? Respondebunt, audio, quorum morborum caussam ignorabant, illos daemoni tribuebant, quod ab Iudeis ad gentiles transisse legimus. Inde vero concludo: fuit ergo communis sententia, daemones in hominum corpora operari, quae,

⁷ Publicauit SAM· CRELLIVS
Amst. 1700. g. Verba haec leguntur praefat. p. II.

⁸ Rom. V, 12-21. 1 Cor. XV, 22.

⁹ In libro, qui inscribitur: die bezauberter Welt. Amst. 1693. 4.

lib. II. c. XXVII. §. 3 sequ.

¹⁰ Praeter theologos dogmaticos legi hac de re utiliter potest MOSHEMINS innot. ad Cudw. Syst. intell. p. 859, sequ.

nisi id factum aliunde constitisset, omni fundamento destitueretur. Cumque ipse Christus hanc sententiam sermonibus suis falsam aut erroneam numquam pronuntiauerit, sed potius confirmauerit: ipse Christus eiusque apostoli errorem disseminassent, si obsessio corporalis illis foret adnumeranda.

In his mentis humanae aberrationibus eo maior diligentia adhibenda est, ne via recta, quae est inter has deuias media, depellamur, in qua ducem non sequimur nisi litteras sacras, neque alia de angelis pronuntiata vera iudicamus, quam inde satis comprobata. Non quidem in hac quaestione opus est, ut, quae docentur super hoc argumento, singula nominatim atque expressis sacrarum litterarum verbis tradantur. Hominibus enim ratione praeditis cum illae datae sint, quae ex illarum decretis, recta via inter se colligatis, rationis conclusione efficiuntur, eiusdem sunt veritatis, evidentiae, roboris, auctoritatisque, atque ea, quae claris verbis de angelis proponuntur. Miramur sane tortuosa illorum ingenia, qui S·S· honorem praefati omnia ad dogmaticorum errores ablegant, quae non iisdem verbis in sacris litteris leguntur: cum tamen cogitare debuissent, quae ex illarum principiis recta ratione colliguntur, itidem inde satis certo cognosci. Sub reverentiae igitur specie ipsam S·L· auctoritatem minuunt, ac laedunt. Ne sumus ita iniurii in deum optimum, maximum, tantorum beneficiorum auctorem, quae sacris litteris debemus: sed, quae profumma sua sapientia de angelis nobiscum communicavit, grati illis adnumerantes, maxima attentione, meditacione et applicatione prosequamur. Non erit inter vos, Ciues humanissimi, quod certissime nobis persuademus, qui magna beneficia atque emolumenta, ex doctrina hac diuinitus nobis reuelata in nos redundantia, ignoret, aut neget. Licet enim ad salutem nostram ita non faciat, ut absque illa nulla locum habere possit: tota tamen salutis

X

oeconomia aequa ac mundi gubernatio clariorem inde lucem haurit. Quanta apud nos inde gloriae diuinae sit accessio, si angelos, deum celebrantes, nouimus. Quanta mundi πνευματικὴ varietas inde enascitur, si praeter humanas alias quoque mentes eius esse incolas, legimus. Quot prouidentiae diuinae, qua mundus regitur, dubii aut difficiles actus hac via et doctrina sapientissime ac fallimine explicantur. Quantum illa ad summam I·C· supra omnes angelos collocati, naturam, dignitatem et auctoritatem plenius perspiciendam confert. Quot in ipsa salutis per I·C· partae oeconomia angelorum fuere partes, quas ingenti damno nostro proflus ignoraremus. Quanta futuri atque aeterni gaudii pars, ex angelorum familiaritate oriunda, in occulto lateret, et quam egregia virtutis ac sapientiae imagine, deumque celebundi voluntaris maximo momento destitueremur.

His igitur, pluribusque diuinis beneficiis incitatī, Ciues optimi, agite, nobiscum inquirite in angelorum virtutem, quae eti nominatim in sacris litteris ipsis non tribuatur, satis tamen inde firmis argumentis concluditur. Ex tot aliis dotibus, quas vobis ad intuendum repraesentare potuissimus, angelorum humanitatem feligimus, quod hanc virtutem rariorem inter ipsos homines in dies fieri, pro dolor videmus, vos vt ad hunc hominis liberalis affectum eo magis excitemus, vel potius humanos iam in illo confirmemus. Ita vero hoc argumentum tractabimus, vt priori parte hanc angelorum humanitatem probemus, posteriori vero humanitatis imaginem sic contemplemur, vt animos nostros ad illam conformemus. Faxis deus feliciter.

Antequam ad argumenti probationem accedimus, opus erit, vt humanitatis notionem paucis explicemus, ne de re dubia et ambigua loqui videamur. Nos humanitatem nunc dicimus, quam graeci Φιλανθρωπίαν appellant, amorem hominum s. quo homines complectimur.

PLA-

PLATO, teste DIOGENE LAERTIOⁱⁱ, humanitatis triplicem statuit esse formam, τῆς φιλανθρωπίας ἐδη τέταρτην μὲν διὰ τῆς προσπηγοτης γνόμενον, εἰσὶν ἐν τοῖς τινὲς τὸν ἐντυχόντα πάντα προσαγορεύειν, καὶ τὸν δεξιὸν ἐμβάλλοντες χαιρετίζοντιν ἀλλοῦ ἔδος, ὅταν τὸς θεοτητικὸς ἢ παντὶ τῷ αὐτοχθόντι· ἔτερον εἰδέσι εἰς τῆς φιλανθρωπίας, ἐν δὲ τινὲς φιλοδημοσίᾳ εἰσιν. τῆς δεκατητης τὸ μέν εἰσι διὰ τὴς προσπηγοτης, τὸ δὲ διὰ τὴς εὐεργετεῖν, τὸ δὲ διὰ τὴς εἰσιν καὶ φιλοσυντοιχίαν, triplicem humanitatem inducit. Quandam enim compellatione fieri, ut cum forte obuiam quemque humaniter quis salutat, et dextram porrigen, comiter excipit. Aliam esse eius speciem, cum quis adfictis opem clementer impedit. Tertium eius genus, quo coniuia inter se homines celebrant. Aut igitur salutationis officio, aut ope et auxilio, aut conuiuio, frequentique congressū constare humanitatem. Quae partitio manca admodum licet sit atque imperfetta, cum mille aliae φιλανθρωπίας formae quotidie occurrant: viam tamen nobis monstrat, qua ad veram eius notionem, eamque superiorem adscendere mens debet, a singularibus generalia intelligenter secerendo. Sic enim rationes nostras subducimus: cum in triplici hac humanitate animus conspiciatur, qui de alterius felicitate gaudeat; nos generatim hunc animi adfertum humanitatem appellamus.

Hominum amorem in angelis quoque conspicuum esse, sequitur nunc ut ex S. S. oraculis lectoribus nostris persuadeamus. Sunt vero illa eiusmodi, ex quibus facile ratione haec argumenta peti possunt, licet ipsius humanitatis nulla aperta fiat mentio. Ut via incedamus, ad quatuor illa ordines reducamus. Primus complectitur illos locos, qui generatim angelorum de hominum felicitate gaudium testantur, alter illorum laetitiam indicat, cum ex certissima pernicie homines euaserunt, tertius angelorum hominibus inseruendi studium nobis ob-

XII

los ponit, quartus denique angelos homines ab iniuriis custodire, significat. Singulorum ordinum cum plures sint loci, nos pro scriptio[n]is angustia ex hac vbertate cuiusuis classis vnum saltim lectoribus nostris in memoriam reuocabimus, vt quae probanda sunt, luculenter inde intelligi possint.

Angelos de hominum felicitate maximo perfundi gaudio, testis est luculentissimus praeclara ista δοξολογία, quam in ipso I· C· natali omnis caelestium copiarum multitudo cum angelo nuntio concelebrauit. Repente extit cum angelo σερατῆς θενάτης πλῆθες, dum laudantium et ita dicentium: gloria in supremis deo, et in terra pax, erga homines benevolentia.¹² Quanam, quae[m]o, caussa ad has dei laudes compellebantur caelestes copiae, quibus inter se certabant, et quasi abundabant? Apud animum scilicet repetebant innumerā ista beneficia, quae in humānum genus ex Seruatore nascenti conferebantur. Mirabantur diuinam sapientiam, quae ex redēctionis opere tam luculenter apparebat. Venerabantur diuinam misericordiam, qua in gratiam cum deperditis hominibus redierat. Laetabantur pacem in terram reducem, suamque erga homines benevolentiam publice testabantur. Putatisne, C· H· tanta angelos voluptate gestire potuisse, nisi maxima φιλανθρωπία flagrarent? Beatissimi hi spiritus, in dei laudes facti, humani generis, in quo tot suae maiestatis vestigia posuerat, certissimam perniciem aeternam, ex peccato oriundam, vehementissime dolebant. Cum igitur ab hac I· C· ortu homines liberos fururos mente praeuiderent, dolor in summam voluptatem transit, qua humanissimi angeli toti cumulabantur. Neque intra se solum laetabantur, sed cum, quo vehementior est amor, eo magis erumpat, publice suum in homines affectum humanissimum pronuntiabant, atque erotica quasi carmina dulcia et venusta cecinerunt, quae ab

omni

12 Luc. II, 13.

omni fraude et similitate eo magis sunt remota, quo magis purae hae atque intemeratae mentes omni labe carent.

Laetari angelos, cum, hominem perniciem suam effugisse, vident, locum habemus egregium, ipsius Christi testimonium, ἔτω λέγω ὑμῖν, Χαρά γίνεσθαι ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τῷ Θεῷ ἐπὶ ἐνὶ αἰματωλῷ μετανοῦτι, ita, scitote, apud diuinos angelos laetitiam fieri ob unum fontem, qui ad frugem redeat.¹³ Hominis fontis commendationem, mentisque transmutationem, τὴν μετανοίαν, quae tum poenitentia tum fide in I· C· absoluuntur, unicum esse remedium, quo ab interitu suo vindicatur, inter nos omnes constat. Quodsi igitur de ista angeli diuini laetantur humanos se nobis quam maxime listunt. Miramur sane arctissimum, quod aulam caelestem hominesque intercedit, commercium, cum quae inter homines geruntur, cum caelestibus mentibus communicari statim, legimus. Si quis curiosius quaerat, qua id fieri ratione posse, nobis persuadeamus, huic satis est respondisse, ipsam rem dubio carere, tametsi eius viam ignoramus ac rationem. Coniecturis non indulgebimus, deus ne ipse in aula sua caelesti noua haec ex gratiae suae regno in terris nuntiet, an ipsi angeli nuntii sint, aut quia alia demum via hic nuntius perferatur: sed id saltim observabimus, hominis ad frugem redditum, rem attentione humana his temporibus vix dignam, immo cauillatorum, impiorumque ludibrio expositam, tanti in aula caelesti aestimari, ut vniuersam illam laetitia perfundat. Tantum animi caelestes, omnis malevolentiae, inuidentiae, odii, inimicitiae, aliorumque vitiorum expertes, a terrestribus, in hoc luto haesitantibus, seque altius sua culpa in has fordes immergentibus, distant. Felicem, qui inde se extricauerit.

¹³ Luc. XV, 10.

XIII

Singulare in angelis inesse hominibus inserviendi studium, explicitis verbis apostolus testatur, qui illos omnes *λειτουργούσα πνεύματα* spiritus ministros appellat, *ad ministerium legatos*, propter eos, qui salutem adepturi sunt.¹⁴ Elegans sane est hominum imago, quae aeternae salutis nos heredes representat. Neque temere id fieri arbitramur. In hoc enim quasi centro, vita hominum aeterna, omnia munera conspirant, quae angeli subeunt, quaeque ipsis sunt eo honoriscentiora, quo maiori illis voluptate funguntur. Qui enim omnia sapientissime disponit ac gubernat deus, mundi arbiter, purgatissimas has mentes his legationibus non destinasset, nisi pro singulari, quo in homines feruntur, amore haec mandata executuros, mente praevidisset. In tanto igitur hominibus inserviendi studio quis humanitatem desiderabit, cum humanus dicendus est, qui, quantum potest, omnibus prodest, nocet nemini. Longum forer, hic loci singula recensere munera, quibus teste S. S. angelii in hominum ministerio funguntur. Id sicut in omnibus, et si ingens illorum multitudo, quibus et caellestem et terrestrem hominum felicitatem praefstant, ex sacris litteris cognosci possit: longe tamen plura adhuc esse posse, quae, cum in hac vita a nobis ignorentur, futurae nostrae scientiae magnam pollicentur lucem atque libertatem, ut diuinam *πρέσονται* melius intelligere, multaque explicare possimus, quae profunda adhuc nocte nobis teguntur. Cauent ergo sibi impietatis ministri, fidei nostrae hostes, ne audacter prorsus negent, quae nec sensibus nec ratione sola duce cognoscere possunt: id quod in rebus ad hanc vitam pertinentibus inconsiderate iam fieri, fatendum est.

Tamdem ex custodia, qua homines liberaliter aduersus quasuis iniurias muniunt, singularis illorum φιλαρθρω-

πια

14 Ebr. I, 14.

nica conspicitur. Elegans eius descriptio legitur apud DAVIDEM, de te suis mandabit angelis, ut te, quocumque perges, iueantur: qui te manibus sustineant, ne pedem ad lapides offendas¹⁵. Pertinet quidem haec custodia universim ad illa munera, quibus hominum salutem inferuiunt: potest tamen ut distincta illorum forma separatim quoque illorum humanitatem significare. Quod si cogitamus, quot et quanta pericula hominem ab incunte aetate per totam vitam circumstent, quae vel ipse ignorat, vel amoliri certo nequit, et tamen feliciter effugit: de praesidiis angelorum quo minus dubitemus, facile adducimur. Neque ipse diabolus illa vel ignorauit, vel negare ausus est; sed pro sua rancrum malitia sinistre illis usus IESVM tentauit: a quo tamen iisdem armis, marte sacro, fortiter repulsus est¹⁶. Nos, C. H. his custodiis a tot periculis tuti, ingens veneremur beneficium, quod deo acceptum ferimus, sive nos geramus semper, ut illis numquam nos indignos reddamus. Mente iam ista praeципiamus gaudia, quae olim nos exspectant, cum ex consuetudine hac angelica pro futura nostra conditione maiora adhuc percipiemus commoda, maiorem voluptatem.

Satis superque, credo, vobis iam persuasum erit, inter angelicas virtutes humanitatem vel in primis numerandam esse. Enimuero quorsum haec a nobis disputata sint, ut cognoscatis, iuvabit iam ex iis, quae hactenus diximus, humanitatis imaginem exprimere, vobisque ad intuendum aequa atque imitandum proponere, quae cum ab angelis capiantur, eo erit pulchrior, quo hominibus hi spiritus sunt praestantiores. Mentita enim est hominum vitiositas imaginis huius quedam colorem fuscum, sordesque aspergit, quae pari modo fugienda sunt. Nos primas eius lineas dabimus, quas pictores pro sua peritia coloribus atque umbra distinguant, ichnographo-

rum
cori braci abr. r. r. r.
v. PL. XCI, II. 12.

16. Matth. III, 6. Luc. III, 10.

XVI

rumque more vestigium describimus, in quo totum opus insistat.

In omnem humanitatem, illam praesertim, quae hominibus inest, magna naturae, artis ac gratiae vis est. Humanus et nascitur et fit. Fit arte ac gratia Spiritus sancti. Naturae cum hanc virtutem dicimus esse dominem, non illam solum hominis naturae consentaneam, sed id quoque volumus, inesse in homine statim ab eius nascientis ortu instinctum quemdam aui impulsu, sui generis alios amandi, illisque se delectandi. Comprobabimus rem, quam experiendo optime didicimus, testimoniis veterum philosophorum, naturae peritissimorum. CICERO, princeps philosophus Romanus, eadem, inquit, natura rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem: *ingenerante praeципuum quedam amorem.*¹⁷ Fuit proprium philosophorum verbum in hac re conciliare i. e. amicum reddere. Ita SENECA conciliari hominem sibi, et ea parte sibi carum esse, quo homo est.¹⁸ Idem quoque toties inculcat M'ANTONIUS EV TOIS EIS έαντού, homines esse φίλες φίλες natura amicos¹⁹. Et quid opus est pluribus testibus in re, quam quotidie in infantibus pusionibus videmus, quos miro inter se flagrare amore, toties laetamus. Non negamus, corporis habitum multum in hac re valere, qui ad naturae dotes non minus pertinet, cum hunc instinctum habitum animi innatum dicimus. Quo enim corpora sunt teneriora, nervis suis adstrictiora, mobiliora, summatis ad sentiendum aptiora, eo maior erit huius impulsus atque instans diuini vis ac sensus. Est quidem ille in tenerrimis animis obscurus, et summatis tantum sentitur: cum annis vero magis sit dilucidus, distinctus atque expensus. Videamus igitur, quomodo arte ac ra-

17 de Offic. L. I. c. 4.

18 Epist. CXXI.

19 Vid. L. VI. et X cum egregio

Commentario THOM' GATAKERI edit. Lond. 1707. 4.

tione amplificetur atque emenderetur. Eruditione id quam maxime fieri, veteres *humanitatis* voce significarunt. Locus velut classicus hac de re legitur apud **GELLIVM**, qui dignus est, quem totum exscribam.²⁰ *Qui verba latina fecerunt, quique his probe vni sunt, humanitatem non id esse voluerunt, quod vulgus existimat, quodque a græcis Πλατωνιστα dicitur, et significat dexteritatem quamdam benevolentiamque erga omnes homines promiscuam²¹:* sed humanitatem appellauerunt id propemodum, quod græci παιδεi vocant, nos eruditioinem institutionemque in bonas artes dicimus: *quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, bi sunt vel maxime humanissimi, huius enim scientiae cura et disciplina ex viuieris animantibus vni homini data est; sic circumsque humanitas appellata est.* Complectebatur haec appellatio non linguarum modo studia, quatenus inepte illa ab ipsis rebus vulgus sciungit, sed omnem doctrinam philosophiae, historiarum, matheseos etc. Vniuersim igitur litterarum studia nomine humanitatis appellabantur, quia litterarum solus homo capax est, et humanam naturam h. e. ingenium, mentem, animum moresque litterae expoliunt, ut tamquam magis homines simus, et eo latius a brutis sciungamus, vnde animi cultus *humanitatis cibus* appellatur²². Dicitur praeterea homo natura sua sciendi cupiditate, eumque adeo vel maxime litterae decent. Deinde liberalis educatio, quae artibus liberalibus plurimum debet, ut humanus adolescat, multum facit. In illa non tam præceptis opus est, quam exemplis, quorum ad impellendum animum maxima est potestas. Cum vero, qui debebant esse humanissimi, eruditii et liberaliter educati, non semper tales inueniantur, gratiae

C

quo-

²⁰ Noct. Att. L. XIII, 15.

²¹ Fallitur hic **GELLIVS**, cum apud latinos nomen humanitatis hanc etiam potestatem habeat. v. Clavis Ciceroniana

cel. 10' AVG' ERNESTI in Ind. Latin. sub voce *Humanitas*. ed. II. Halae 1757. 8.

²² apud **CICERONEM** de Fin. V, 19.

XVIII

quoque opus esse hanc φιλαρθεωνταν supra diximus. Gratiā intelligimus istam animi, a spiritu sancto verbo diuino emendati, nouam indolem, quae non ex ratione pristino suo robori restituta, (quae in sanctum ex plebe profecto non cadit) sed ex fide in I: C: (quae non est ista ratio robori pristino suo restituta) profecta, omnem vitam sanctam efficit. Quae cum orantes christiani hominis virtutes illustret, amplificet, corroboretque, humanitati tanto plus tribuit, quo amabiliores homines in redēptionis opere sīstīt. Sed ne humanitatis incunabulis diutius, quam fas est, immoremur: quibus illa qualitatibus, animi sensibus, verbis atque actionibus se exserat, agite, consideremus. Id nobis fundamenti loco sumere licet, humanum alterius salute vehementer delectari, vt quo animo affectus sit, penitus intelligi possit. Amicūm ergo animū gerit aduersus singulos homines, quos tamquam se ipsum amat. Tantum igitur abest, vt sit μαρτύριον των δομινίου, potius vt ex consuetudine cum hominibus maximam capiat semper voluptatem. Facilem videmus, comedere et affabilem. Socialiter vivit, deumque homines animalia socialia esse voluisse, cogitat. Quae cum debeant esse, sedulo ab omnibus istis vitiis abstinet, quibus humana societas turbatur: quin potius, quantum potest, vt et alii sociales sint, operam dabit. Verum enim uero verbis amore significasse nondum humanitatem constituit, sed actionibus illa testanda est. Qui alterum amat, vt eius salute delectari possit, id sibi datum existimabit, vt illi, quantum in se est, studeat, eius curam gerat, de illa prospiciat, eamque ab omni iniuria tueatur. Numquam igitur alteri sua officia denegabit, succumbenti succurret, atque opem feret. Ex aliorum calamitate dolorem animo suscipiet, atque adeo se illis misericordem praefebbit. Aequabilis omnibus erit, cum laetus laetus, tristis cum tristibus. Quod si alios in vita ruere videat, mitem se praebet monitorem, redeuntibus vero ad saniorem men-

tem.

tem applaudet. Placabilis erit, et mansuetus. Aequus præterea in malis ferendis semper cogitabit, se esse hominem, nihilque humani a se alienum. Ciuis erit beneficus, omnibusque salutaris. Quas in republica suscepit partes administrandas, in his strenuum, fidum adque indefessum se declarabit, et quantum ab homine in humanam societatem proficiisci potest officii atque emolumenti, id omne a se iure exspectari, sibi persuadebit. Damna et calamitates, quas alii impendere sentit, quantum in ipso est, discutiet ac depellet, malaque conuertere ad salutem studebit. Mores ostendet ciuiles et compositos, neque austeros aut rigidos, quos alii imitantur. Neque, quod nostris diebus sit, humanitatem in deliciis quibusdam et elegantia a molitie non abhorrenti, ponet, aut delinimenta vitiorum cum imperitis humanitatem vocabit. Meliora edocet humanitatem fugier vicinam virtutem, inuicem qualiacumque laudandi, tum indecorum tum studiorum perniciofissimam hostem. Verbis blandis et speciosis humanitatem non mentietur, neque alios humanos statim habebit, hanc humanitatis speciem praebentes. Humanos alios ex animi sensis, non ex verbis, et quo plus habent religionis, eo iudicabit humaniores. Ut paucis complectamur omnia, humanitatis studiosus exemplum dei humanissimi, angelorumque humaniorum semper sibi ob oculos ponet, in quod intueatur, unde discat, et ad quod suam humanitatem componat.

Primit tantum lineis humanitatem designatam videntis, C. H. quae cum vobis, humanitatis sensu iam imburis, publice proponantur, ex scriptoris consilio sufficiunt. Sic enim habeatis, optimi Ciues, has scripturas, quibus pro officii ratione ac fide dies christianorum festos vobis indicimus, ea mente a nobis proponi, eo consilio, vestros animos ut ad pietatis et religionis sensum excitemus, excitatosque plenius alamus. Materiam idcirco feligendam putamus, non quae vos ad aliena deflectat, aut a sacrarum litterarum lectione, his diebus in pri-

primis accommodata ac necessaria, ad humana scripta conuertat, in quibus saepe sanioris mentis aut pietatis parum inest, neque talem, quae varia doctrina mentem quidem instruit, animum vero negligit, aut, a quibus tamen his diebus vacare debebatis, vestra litterarum studia vel pacit, vel postulat: sed eam, quae vos deuotio ne impleat, vestramque pietatem ardentiorem reddat, intentioremque. Dies instat festus Michaelis, a saeculo sexto vel quinto exeunte in christianorum coetibus peractus, ad cuius piam celebrationem hoc, quidquid est, scriptiunculae in Academia nostra publice proponimus. Professo, cui salus hominum aeterna curae, cordique est, nihil magis his diebus necessarium esse putabit, quam ut quavis occasione hominum pietas acuatur, intendatur et confirmetur. In tot enim purioris doctrinae cauillationibus, religionique infensissimorum tanta impunitate, qui aliter fieri potest, quam ut vera pietas frigeat, immo prorsus exspiret. Aedificium, firmo fundamento destitutum, sponte corruit: ita quoque pietas, erroribus superstrueta, non vero puriori doctrinae, fucus est et species quedam, quae cum erroribus simul euanefecit. Videtur, neque est. Cum vos, C. H. ab his erroribus tutos esse volumus, atque optamus, nihil magis in votis habemus, quam ut hunc diem festum sic peragatis, pietas vestra nouum ut robur accipiat. Quod si, quae de angelorum humanitate praefati sumus, pia meditatione prosequemini, habebit sane pietas vestra, in quo se exerceat, quo amplificetur et nutritur. Atque utinam hunc effectum exhibeat nostra disputatio, quae, quo melius a vobis in rem et salutem vestram conuertatur, eo erit fini suo, consilioque nostro accommodatior, adeoque praestantior. P. P. in Academia Iulia Carolina

Pridie Festi Michaelis A. I. S. MDCCLXVI



AB: 153990




5b.

VDA 8

R

B.I.G.

Farbkarte #13



ELORVM HVMANITAS

A D

CM FESTVM MICHAELIS

PIE CELEBRANDVM

I N

EMIA IVLIA CAROLINA

A· I· S· MDCCCLXVI

P· P

HELMSTADI

XIT DE OFFICINA SCHNORRIAE
ACAD· A TYPIS